

059

057

063

053

068

048

108

008

158

558

Ende

Anfang

48

Christiani simplices non modicam vacillationem et titubationem incurrerunt; sed bonus Christianus sanctorum dicta considerans potius ex facto phantastico in fide solidatur. Sanctus enim Augustinus de civitate Dei Libr. XX. C. 19. de signis et prodigiis mendacibus loquens, dicit: Quod signa et prodigia duobus modis dicuntur mendacia; uno modo, quia decipiuntur sensus hominum virtute et arte diabolica, ut credatur fieri, quod in veritate non fit, ut sunt phantasmata. Secundo modo, quia trahunt credentes ad mendacium, ut scilicet credant fieri virtute divina, quod diabolus fecit, vel ut credant sibi fieri pro salute, quod ad damnationem fieri constat. De his vide infra fol. 224 b. Istis profecto duobus modis, nemo ambiget, diabolus signum praetactum operatur. Primo enim corpora illa surgunt arte diabolica, ac si aliquis vitae spiritus in eis esset, cum tamen nihil vitae sit ibi, sicut arte diabolica defunctus agitabat caput ad Simonis Magi incantationes, et videbatur vivere, qui tamen non vivebat. Secundo magis proprie est in hoc facto operatio Satanae; fit enim in veritate et reatiter signum, quod corpora illa erigantur in sepulchris, sed operatione Satanae, ut deludantur Saraceni, credentes divina virtute fieri, quod diabolus facit, et quod firmentur in sua infidelitate ad damnationem. Modernum enim tempus est illud, de quo dictum est: tunc solvetur Satanas, quia nunquam tantam potestatem accepit in homines, quantum nunc habet. Acceperat olim potestatem, quod ignem de coelo cadere fecit, et uno impetu totam substantiam beati Job absumsit, et turbo ejus opere irruens domum cum filiis perdidit. Sed in novissimis diebus his majora faciet, quia dicit Apostolus: immittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Deus enim immittet, quia dominus diabolum facere permittet ista justo judicio, quamvis ille faciat iniquo malignoque consilio, ut judicentur omnes, qui non credunt veritati; non enim veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi prius veniat ad seducendos in omnia mortuos Antichristus, qui est Machometus, cuius praesentia erit secundum operationem Satanae in omni virtute signis et prodigiis mendacii, et in omni seductione his, qui pereunt. Quia enim Machometi lex irrationalis est, per talia fatui in ea solidantur. Est autem illa mortuorum erectio figura resurrectionis eorum, eriguntur enim, et tamen mortui manent: sic resurgent quidem, sed non ad vitam aeternam. Et quales

